

Johann Tarnow Tobias Contzius

**Explicatio Capitis Octavi epistolae ad Hebraeos, in quo agitur de praestantia
Sacerdotii Christi & Novi Testamenti : quae Anniversariae disputationis loco a. d.
4. Iunii ... In Auditorio Magno Publice examinanda proponitur**

Rostochi[i]: Pedanus, 1625

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737675594>

Druck Freier  Zugang



Vent. J. Couzigius
F. Tarnovius.
R. U. theol. 1625.

D. T. O. M. A.

33

Explicatio

CAPITIS OCTAVI

epistolæ ad Hebræos,

in quo agitur de præstantia

SACERDOTII
CHRISTI

&

NOVI TESTAMENTI:

que

ANNIVERSARIÆ disputationis loco

a. d. 4. Junij, horis matutinis,

IN AUDITORIO MAGNO

Publicè examinanda proponitur

PRÆSIDE

JOHANNES TARNOVIO

RESPONDENTE

TOBIA CONTZIO

Ascaniensi.



ROSTOCHI

Literis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog.

ANNO M, DC. XXV,

D. T. O. M. M.
Explicatio
CARITIS OCTAVI
in exegese de prophetis
SACERDOTII
CHRISTI
NOVI TESTAMENTI



JOHANNES A. R. N. O. V. I.
Tota Compositio



Rostock
Anno M. DC. XXI



יהוה כחורף כחורף אור:

THESIS I.



Uum saepius occurrat appellatio U. & N. T. eaq; in nonnullorum dictorum scripturae explicationibus, & in controversijs Theologicis magnum habeat usum, si quis recte adhibeat & distinguat, placet, Deo iuvante, quaedam de differentia praecipue utriusq; in medium proferre, ac publicae disquisitioni subicere. Quia vere sedes quaedam hujus materiae est in capite 8. epistola ad Hebr. opera nos facturos esse precium putamus, si id prima hac disputatione explicemus. Faxit aeterna veritas, ut verum inveniamus sensum. Trademus autem brevissime hujus capituli summam, analysin, explicationem phrasium & verborum, & paucis L. doctrine subjiciemus, ut ita uniuscujusq; versus sensum & usum rimemur.

Occasio.

Verum & methodus.

II.

Argumentum est hoc: Christum omnino audiendum, esse dixerat c. 2, 1. 2. 3. non modo, quia verus Deus c. 1. sed etiam quia secundum humanam naturam (juxta quam facta est exinanitio) omnia accepit, ut ita secundum utramq; naturam esset mediator c. 2, 5. & c. atq; ita Mose c. 3. & Josua c. 4, 8. (quorum ille Israelitas ex Aegypto eduxit, hic eosdem in terram sanctam introduxit) major, quippe qui etiam sit noster pontifex unicus c. 5. Ideoq; ipsi unice adherendum c. 6. eo quod Melchisedecho major c. 7. & melioris Testamenti sponsor ibid.

Summa c. 8. ep. ad Hebr. Occasio dicendi.

v. 22. *Unus, aternus, perfectissimus & sine omni peccato v. 23. &c.* (de quibus omnibus inpraesentiarum non agimus, sed velut occasionem dicendi ac subjiciendi sequentia perspicuitatis ergo apponimus & praesupponimus) his omnibus tandem, praecipuam quandam Christi praecellentiam subnectit hoc cap. qua consistit in sacerdotij ipsius dignitate summâ aliquot argumentis evicta, & imprimis inde satis probatâ, quod quod melius & perfectius sit N. T. cujus ipse est mediator, eò quoq; ipse sit praestantior. Illud autem V. hoc longè fuit inferius, ideoq; hoc appropinquante abrogatum.

III.

Analyfis.
Partes
duæ 1.
Præstancia sacerdotij,

1.

2.

3.

4.

5.

Partes capituli duæ sunt, prior præstantiam sacerdotij Christi, posterior excellentiam N. T. cujus ille sponsor ac mediator, demonstrat. Illa probatur per comparisonem præcipuam sacerdotij prioris Levitarum, cujus membra desumuntur (1.) à persona ipsa, ejusq; majestate. Levitæ tantum erant homines nudi, Christus non tantum verus Deus, sed etiam secundum humanam naturam ad dexteram Dei collocatus. (2.) à loci majestate. Illi in terra tantum hærebant, quam diu suo fungebantur officio, Christus ipsum cælum ingressus, ibidem intercessorem pro nobis agit perpetuum vers. 1. (3.) à tabernaculo. Illorum erat umbratile ac caducum: Christi corpus rem ipsam habebat & à Deo ipso fixum non perit v. 2. (4.) à victima. Illi dona & victimas, puta ex rebus seu animalibus brutis, obtulerunt: Christus semetipsum. v. 3. (5.) à conditione & statu. illi omnes terreni juxta legem ceremonialem offerentes: Christus cælestis, qui legem illam abrogavit v. 4. quum tantum contineret umbram v. 5. in his igitur consistit præcipua Sacerdotij Christi prærogativa, quod ipse sit perfectior, & meliorem ac gratiorem victimam Deo obtulerit.

Hac

Hæc posterior pars continet novam rationem, eorum que dicta sunt, nempe, si Christi *λεγεγία* & Testamentum, cuius mediator est, præstantius, etiam Christus est præstantior illis sacerdotibus. v. 6. confer c. 7, 22. Sed illud. E. Assumptum, porro confirmatur (1.) à promissionibus. Quo enim hæ in N. T. meliores, eò & ipsum est præstantius. v. 6. in fine. (2.) ab imperfectione V. T. que probatur, quia aliud melius ei fuit substituendum, vid. N. illud autem si fuit perfectum, aliud novum non fuisset quesitum v. 7. quomodo alij dicunt, hoc argumentum esse desumptum à duratione, quæ ibi exiguis terminis, hic nullis circumscripta. Assumptionem prioris argumenti dicto scripturæ firmat, petito ex Jer. c. 31, v. 31. &c. Rationes inde possunt peti hæ: Quod Deus incusat, est imperfectum. V. T. incusat. E. v. 8. in principio (2.) Cui fæderi seu T. Deus aliud se surrogaturum promittit, illud est imperfectum. Sed illud factum est de V. T. v. 8. E. (3.) In quo testamento effectus salutaris, neq; ex parte hominum obedientia, neq; ex parte Dei benevolentia promissa consequitur, illud vel ex accidenti est imperfectum, ideoq; si ille effectus producendus est, aliud Testamentum est surrogandum perfectius. Sed in V. T. ita sese res habet; ut dictum, & Deus hic disertè affirmat v. 9. E. (4.) ex naturâ N. T. v. 10. eaq; cernitur ex effectis & promissis ipsius N. T. v. 11. & 12. & inde probatur huius præstantia, atq; ita quesitum prius concluditur: Si novum T. ratione naturæ, modi, effectorum, promissorumq; longè melius & præstantius V. T. est, hoc fuit imperfectum & abrogatum. Sed illud. E. & hoc. Unde conclusio sequitur, que v. 13. ponitur Ergo V. T. est abolitum per N. quod erat contra Hebræos V. T. mordicus retinentes præcipuè probandum ex Instrumento V. quod habent, legunt & probant Judæi.

II. N. T.
excellen-
tia.

1.
2.

ex Jere-
mia.

PARS PRIOR.

V.

κεφα-
λαιον.

*Vers. 1.] Non tam superiorum hic est quadam κεφα-
λαιωσις, quam super & prater ea, qua hactenus allata sunt,
hoc velut caput & insigne quoddam κεφαλαιον, quò reliqua
referenda, velut ad scopum praeipuum, quomodo infra c. 10, 7.
in capite libri Dei seu bibliorum de Christo, velut scopo ac fine
primario, scripturae esse legimus. Summa autem eorum o-
mnium, quae dicimus (grace tamen ἐμπαλιώτιστον, κεφα-
λαιον δὲ τοῦ τῶν λεγομένων, ubi τὸν pro ἐν positum esse putat Pi-
scator, cui non assentior) talem habemus summum pontifi-
cem, quod Syrus non male effert, quod sit nobis princeps Pon-
tificum is, qui consedit ac regnat ad dexteram throni maje-
statis illius in caelis, Lutherus der da siset zu der rechten auff-
dem Stuel der Majestet im Himmel. Conf. supra c. 1, 3, & 12, 2.
Mar. 14, 62. Luc. 22, 69. Piscator sine causa & fundamento,
in supremo illo caelo, quod mox nominat τὸ ἄνω. Utrumq; n.
falsum est, quod asserit hic commentator.*

VI. Ulus.

Articuli
fidei.

Christus

omnipra-
sens,

*Hinc deducimus haec porismata (1.) non omnia, qua ha-
bentur in scripturis, sunt aequè omnibus scitu necessaria, vel
articuli fidei, qui à nemine possint ignorari, sed omnibus co-
gnoscendi & credendi, cum quadam sint q. summa capita, quae
sine salutis dispendio ignorari non possunt. Contrarium asse-
rit Tannerus in Colloquio Ratisbonensi sess. 11. sub finem. (2)
Christus est summus ac unicus N. T. sacerdos. (3.) Thronus
majestatis est imperium Dei in omnia, & quia Christus secun-
dum humanam naturam ad dexteram Dei consedit, is etiam
secundum humanam naturam per unionis gratiam est omni-
presens, mundiq; tenet imperium, quod negant Calviniani.
(4.) Hinc liquet, quanta sit praestantia nostri Pontificis, qui
& na-*

Et natura Deus, Et homo, unus Et idem Christus: quia pontifex, est misericors; quia ad dexteram Dei sedet, est omnipotens: vult ergo Et potest omnes suos iurare, eripere, defendere, salvare.

V I I.

Verf. 2.] Licet verò omnium rerum sit Dominus, tamen ratione officij, quod propter salutem nostram suscepit, est τὸν ἁγίον λειτουργός, Sanctuarij (Syrus habet, domus sancte) minister, quod Lutherus explicat, ist ein Pfleger der heiligen Güter / & veri illius tabernaculi, quod fixit (græcè ἱπηρῶν) Dominus, & non homo. Id esse cælum, quidam interpretes existimant. Sed refutantur à Junio (1.) cum esset τὸν βολογία futilis, eò quod cæli expressa facta sit mentio v. 1. (2.) ἀειπαλογία inutilis, quandoquidem nemo dubitat, quod Deus cælum fecerit, Et quod nullus homo id facere queat. (3.) quod infra hoc aliter videatur explicari. c. 9, 11. Itaq; rectius per tabernaculum intelligimus ipsum Christi corpus. (1.) quia varijs modis in V. T. adumbratum fuit per typos, qui veniente hoc corpore vero omnes cessant, ut ita impleretur, quod dicitur Job. 1, 15. Gratia Et veritas per Christum. (2.) Quia sine virili semine, sed mystico spiramine verbum Dei factum est caro, fructusq; ventris floruit. vide Luc. 1, 35. (3.) Quia infra c. 10, 20. Caro Christi appellatur velum: hoc autem erat pars tabernaculi. Ἄδρον igitur, ut haberet, quod offerret, Et in quo offerret, oportuit hominem fieri, præter rerum seriem, solo Deo efficiente mirabiliter hoc corporis tabernaculum, quod ingressus est in nativitate, sicut penetravit se in ipsum sanctuarium pendens in cruce. Confer ea qua habentur infra c. 9, 11. 12. 25. 26. 28. Christi autem corpus est tabernaculum cum eâ ratione, uti dictum, tum quod in eo habitaverit personaliter ὁ λόγος: Et victima, quia hoc in cruce est oblatum.

Deus.

Tabernaculum.
h. l. nō est cælum.

1.
2.
3.
Sed Christi corpus

1.
2.
3.

Disci-

VIII. Usus.

Christus
servus.

Typi V. T.

Christi
nativitas.

Ut Chri-
sto esset
quod of-
ferret, sic
homo.

Christus
sacerdos.

diffimilis
sacerdoti
bus V. T.

*Discimus (1.) quod Dominus factus sit minister & ser-
vus, ut servi fierent liberi Job. 13, 13. Esa. 53, 1. Johan. 8, 36.
Rom. 15, 8. (2.) In V. T. multa respectu Messia venturi erant
typica & adumbrantia, in N. res ipsa & corpus. (3.) Chri-
sti nativitas fuit miraculosa & pura, ut sanaretur nostra per-
dita origo & corrupta natura.*

IX.

*Vers. 3.] Eandem explicationem sequens versus & ratio
confirmat, quæ plenè ita habet, licet proponatur in textu sub
forma entymematis: Omnis Pontifex necesse est ut habeat
quod offerat. Non autem habuit deus quicquã præter seipsum,
& quidem divinam naturam, quam solam in mortem tra-
dere non potuit E. in unitatem persona assumpsit hominem, ut
ita Deus suo sanguine redimeret Ecclesiam Act. 20, 28. Omnis
enim pontifex ad offerenda dona & victimas constituitur
confer supra c. 5, 1. unde necessarium, habere hunc, quod
offerat, nempe seipsum c. 7, 27. quando peccata nostra ipsemet
sustulit in corpore suo super lignum 1. Pet. 2, 24. velut in aram
se & illa imponens.*

X. Usus.

*Doctrina. Sacerdotis est non modò docere populum, sed
etiam pro eodem preces offerre & tempore umbrarum sacrifi-
care: Nunc autem in N. T. solus Christus id præstat, quia
semel seipsum patri victimam Ephes. 5, 2. & semper preces,
pro nobis intercedens, offert Rom. 8, 34. 1. Johan. 1, 7. & 2,
1. 2. Apoc. 8, 3.*

XI.

*Vers. 4.] Dictum est v. 1. quod Christus omnibus modis
sit excellentior sacerdotibus V. T. quod sit minister veri ta-
bernaculi v. 2. & seipsum obtulerit v. 3. Hoc ipsum porro
probat*

probat ex contrario in hunc modum: Si tantum esset terrenis
 similis deserviens exemplari, offerens animalium sanguinem,
 non potest esse sacerdos, tum quia non est ex tribu Levi, tum
 quia non juxta legem illis praescriptam offert, nempe in taber-
 naculo Moysi vel templo Salomonis. E. Quia tamen est sacerdos
 (quod c. 7. est evictum) sequitur, alio longe excellentiori
 modo eum suo praesse officio, eumq; longe praestantiorum esse
 ipsum. Nam si esset, subintellige ex versu precedenti, ἀρχι-
 ερεὺς seu pontifex, ἐν ᾧ, i. e. stylo hebraeo, terrenus (vide Ibe-
 saur. Gram. Buxt. l. 2. c. 1. Reg. 2. p. 308. 309. & c. 3. reg. 1. sub
 finem p. 333. & cap. 14. Reg. 1. pag. 452. 453.) ut ita notetur
 non locus, quod urgent b. l. quidam Calviniani, quum tamen,
 quod quidam Calviniani concedunt, his verbis describatur
 conditio seu status, ut patet ex oppositione, quam etiam agno-
 vit Tremellius in notis ad versionem Syriacam, & Pareus ean-
 dem contra Socinum, hinc concludentem, quod Christus non
 fuerit sacerdos in terris, sed tantum in caelis, agnoscere cogi-
 tur. Si a. talis terrenus Leviticus minister tabernaculi esset,
 ne sacerdos quidem esset, seu esse posset, quum per leges tum
 vigentes non admittatur, neq; esset melior, puta caelestis ex-
 cellentiorg; illis, existentibus & suum εἶνα seu esse q. conser-
 vantibus, (ὄντων est in graeco textu, non μενόντων, unde Beza
 male vertit, Pareo iudice, manentibus) Lutherus, diu weil da
 Priester sind / illis sacerdotibus Leviticis offerentibus secun-
 dum illam legem sibi praescriptam dona, qua verum N. T. sa-
 cerdotem & victimam adumbrent, & proinde typis adhuc
 durantibus, ipse antitypus nondum adesse poterat, qui non
 offert sacrificia, holocausta, victimas Ps. 40, 7. Heb. 10, 5, 6,
 8. sed corpus sibi à Deo adaptatum. Unde sequitur, cum terre-
 norum more non administret suum munus, quod non sit talis
 terrenus, & cum ipse venit caelestis pontifex, quod illi terreni
 esse

Pontifex
 super ter-
 ram i. e.
 terrenus

B

esse

esse desinant. Piscator & quidam alij Calviniani hic sibi non constant, quando scribunt, hæc verba coherere cum v. i. & ibi notant, describi majestatem Christi summam: Hic a. putant ipsum locum præcisè intelligi per cælum & terram, quorum neq; illud simpliciter majestatem, neq; hæc vilitatem simpliciter importat. Vide ejus obs. ex v. i. p. 1330.

XII. Usus.

Calviniani abutuntur h. l.

ut & Socinus.

Cælum cogitamus.

Ceremonia usq; ad Christum.

Desinant v. Calviniani abuti hoc loco, q. Christus post ascensionem in cælos non sit in terra, aut præsens, ubicunq; & quocunq; modo affore se promisit. Cum enim in hoc capite agatur de Christo sacerdote, is a. sacerdos sit secundum utramq; naturam, si Calviniani id mordicus urgent, ex hypothese illorum sequetur, quod neq; Christus secundum divinam naturam in terris adesset, quod cum ipsis sit absurdum, hinc contra præsentiam ejus argumentari desistant. Pareus concedit, intelligi statum terrenum, sed secundario, cum tamen ipsa oppositio aliud clamitet. Confer Joh. 3, 12. & habebis, quod Pareo reponas. (2.) Socinus hinc malè colligit, quod Christus non sit sacerdos, nec se pro nobis obtulerit in terra. Cui opponimus locum ex c. 1, 3. hujus Epistolæ, & rem ipsam multoties in scriptura explicatam, quod Christus paulo ante passionem Joh. 17. in ipsa αὐθιγα. Luc. 22, 44 imò in ipsa cruce pro nobis preces fuderit, & in cruce moriens se ipsum Deo victimam obtulerit Heb. 9, 12, 14, 15. & 10, 10, 12. Ita fuit & coepit esse noster sacerdos acquirendo in terris, & idem nunc est in cælis sacerdos noster intercedendo & applicando suum meritum. (3.) Si noster Pontifex non est terrenus, nos quoq; non oportet terrenis nimium adharere, sed sapere, cogitare cælestia, seu ea, quæ sunt supra nos Coll. 3, 1, 2. (4.) Tamdiu sacrificia Levitica esse, durare ac offerri juxta rationem, quæ præcipiebatur in lege ceremoniali, debuerunt, donec veniret Messias Gen. 49, 10. Vers.

Pers. s.) Quod Christo ipsi praefigurato per umbras V. T. dum ille vigent, non sit locus cum sacerdotibus Leviticis, per rō declarat hoc versu, & hoc argumento: Qui umbra & exemplari inserviunt, non sunt vel habent ipsum corpus. Sed illud competit Leviticis sacerdotibus. F. Et vice versa: Ubi est corpus, ille exspirant. Christus igitur non adest, quando sunt sacerdotes, qui secundum legem ceremoniam dona offerunt, ut qui exemplari, ὑποδείγματι Luth. dem fürbilde & umbra deserviant rerum caelestium ac in Christo exhibendarum, sicut κεχηρμάτισαι Μωσῆς divinitus admonitus vel edoctus fuit Moses per oraculum, Matth. 2, 12. Act. 10, 22. Rom. 11. 4. Heb. 11, 7. & 12, 25. quod Lutherus ita παραφράσει, wie das Göttliche antwort zu Mose sprach/ puta Exod. 25, 9, 40. & 26, 30. Act. 7, 44. quam esset absoluturus tabernaculum, vide enim, inquit, ut facias omnia ad exemplar, τύπον, nach dem Bilde (ubi vox τύπος pro ἀρχετύπος accipienda) quod ostensum est tibi in monte. Hic obiter notanda est contradictio, seu, ut mollissimè dicam, inconstantia Parei, & quidem propter alios, qui miris modis hic & in similibus locis biblicis saepe de umbra philosophantur, non modo planè præter rem, sed etiam contra mentem & scopum scriptorum sacrorum. Sic igitur scribit in commentario Pareus v. 5. p. 370. L. D. Umbra est obscuratio aëris corpus opacum, lumini oppositum, utcumq; referens. Atq; ita ab umbra natura (de qua vulgò fertur, umbra rei nihil est) qua comitatur corpus in luce positum, hanc appellationem esse desumptam innuit, nisi planè ex arca funiculos necere velit, vel scopas dissolutas componere, quomodo appellatio umbræ ceremonijs V. T. nullo modo congruit, siquidem, ut tum in natura prius necesse est adesse corpus, adesse lumen, unde demum consequitur umbra: Ita sequetur, quod Christi

Christus non est cum sacerdotibus V. T.

Χρηματισαι Μωσῆ

Pareus malè hic definit umbram.

ita Ceremonijs V. T. non congruit.

corrigit
Pareus.

Agitur
hic de
umbra
picturæ.

Ἐθελο-
θρησκείαι

corpus prius adfuisse & lux magna (cum tamē Apostolus asse-
rat, fuisse noctem, Roman. 13, 12.) hinc tandem umbra: quum
tamen umbra ibi longē antē præcesserit, & corpus & lux N.
T. reservata tandem adventarint. Quid multis? Pareus sui
& horum oblitus ita rectē scribit in eodem Comm p. 372. l. D.
Sicut imagine absoluta atq; vivis coloribus superinductis,
sciographia seu prima delineatio evanescit: Ita bonis cœle-
stibus per Christum adductis & largiter effusis in novam Ec-
clesiam (mallem, Christo exhibito) typi olim futura illa signi-
ficantes sunt facti evanidi & antiquati. Hæc ille. quomodo
rectē statuit, ab umbra picturæ esse desumptam hanc appellationem
& comparisonem. Ut enim umbra illa carbone vel
cretâ leviter delineata utcumq; futuram imaginem represen-
tat, & tamdiu durat, dum colores superinducuntur, eaq;
planè perit, ubi hi succedunt: Ita ceremonia Christum præfi-
gurabant, sed non tam dilucidè ac perspicuè, ut in N. T. vide-
tur, & tamdiu vigere debebant, dum ipso corpore superve-
niente disparerent Coloss. 2, 17. Heb. 10, 1. Et porrò hinc liquet
vis argumentationis, quæ habetur in h. l. Sicut enim nullo
modo potest fieri, ut umbra & corpus coloribus satis ornatum
simul durent: sed illa perit, hoc succedente: ita serres habet
in umbris V. T. Christo nato & dato.

XIV. Usus

Pleriq; quæ hic observari poterant, jam in textus explica-
tione annotatis, tantum unicum subiiciamus, quod nullæ Ἐθελο-
θρησκείαι Deo placeant, sed omnia ita velit fieri, prout in suo
verbo præmonstravit. Hactenus pars prior.

PARS POSTERIOR.

XV.

Vers. 4.) Deinceps de præstantia N. T. agitur, unde
etiam excellentia ejus sacerdotis unici facile potest demon-
strari

strari, id quod sub initium hujus partis fit. Umbras tantum fuisse in V. T. dictum est: res a. caelestes, h. e. tales, quae ex caelo erant tandem danda & exhibenda, servari tempore N. T. nempe Christum ipsum, lucem & latitudinem praedicationis Evangelij majorem, & si qua his affinia, unde per adversativam particulam haec pars inchoatur, ut habet Lutherus, non a. illativam, igitur, cum Pareo, de, expono Nunc, noster ille Pontifex caelestis eo praestantius ministerium sortitus seu consecutus est (Luth. erlanget: Syrus a. magis perspicue inserto quoque, subjecto: Nunc v. ministerium, quod est excellentius illo, accepit Iesuchua Christus) quod etiam melioris seu praestantioris pacti vel Testamenti est mediator, quin etiam non modo mediator, sed εγγυος seu sponsor c. 7, 22. Unde a. de hujus pacti praestantia judicatur? ex varijs quidem, ut sequetur: ex illis tamen non minimum est, quod hoc loco ponitur, primum, melioribus promissis sancitum est, Grace νεωμοθετηται, de quibus populo q. lex & verbum positum supra c. 7, 11. Cujus consequens Lutherus, welchs auff besseren verheissungen stehet. In priori commate emphatica vox est διαφορωτερος non tam, quia graeci appellant illa διαφορωτερος, quae in suo genere ab alijs differunt praestantia (uti scribit Pareus h. l.) quam quod, quaecumque, excellent quocumque modo, siue sint in uno genere, vel specie, seu non sint, (ut apparet vel ex Cap. 1, 4. hujus Epist.) vel hoc nomine indignant, vel διαφεραν asserunt. Conferantur haec loca, & apparebit in Theologia simpliciter acceptum, falsum esse, quod dixit Pareus Mat. 6, 26. & 10, 31. & 12, 12. Gal. 4, 1.

XVI. Usus.

Hinc discimus (1.) quod quemadmodum Chemnitius ex Luthero scribit p. 2. L. C. de lege Dei c. 1. Quando instituitur sollatio Legis & Evangelij, tribuat Paulus legi quasi ignominiosas

B 3.

niosas

Quarum reru umbra in V. T.

N. T. ministerium praestantius.

Διαφορωτερος

Διαφεραν

N. T. praestantia.

etiam in
promissis

niosas & contumeliosas appellationes: Ita etiam N. T. veterè longè præstantius in comparatione & respectu nostri esse dicatur, quum hoc in se etiam fuerit perfectum, quia de re postea cum Deo. (2.) Errant, qui hinc concludunt, quod V. T. tantum corporales & terrenas promissiones complexum sit, quum meliores sunt illæ promissiones N. T. quia (1.) faciliores (2.) dilucidiores (3.) per Christum ipsum annunciate (4.) nobis propiores Rom. 13, 11, & 10, 8.

XVII.

Superlati-
vi pro cõ-
parativis.

ἀμεμπ-
τος

Locus rei

Lex nos
non sal-
vat,

Vers. 7.] Neg. est, quod dubitemus, hoc sensu præstantiam illis promissis tribui, cum V. T. imperfectio respectu hominum subiciatur. Illud enim videtur esse præstantius, quod facilius iuvat, dilucidius proponitur, per maiorem legatum exponitur: Imperfectius a. cui hæc desunt. Nam si prius illud, seu V. T. (ἡ ἀγαθή ἐξέλιξη, superlativi enim sæpe etiam in N. T. pro comparativis accipiuntur Confer Job. 1, 15. Mat. 21, 28. Heb. 9, 18. & contra comparativi pro superlativis Mat. 18, 1. & 23, 11. 1. Cor. 13, 13. 2. Pet. 1, 19. tale fuisset, ut nihil in eo possit requiri, desiderari, culpari, ἀμεμπτος Luth. So das ersto vntadelich gewesen were! omni ex parte absolutum, ad effectum quod spectat, si non in hominibus in ac sub eo viventibus habuisset Deus, quod reprehenderet (alias in se erat ἀμεμπτος quippe Dei fœdus seu pactum Gal. 4, 19, 21. Rom. 7, 7, 12. & 8, 3. 1. Tim. 1, 8.) haudquaquam secundo quaesitus fuisset locus, i. e. non fuisset novo opus. Ut enim locus eorum non dicitur inveniri, qui vel que planè non, vel non ita extant ut ante Apoc. 12, 8. & 20, 11. Heb. 12, 17. Ita locus rei quæri dicitur, quando ipsa quaeritur.

XVIII.

Docemur (1.) si legem perfectè servaret homo, omnino hinc haberet justitiam & vitam. Nam quamvis homo propriè

loquendo nihil meretur, tamen Deo obediens, sibiq; à peccato cavens non excideret ea vita, ad quam in primæva creatione est conditus. Confer præter superius allegata hæc quoq; loca Matth. 19, 17. Luc. 10, 28. Rom. 2, 13. & 4, 5, 11. & 10, 5. Gal. 3, 22. & tamen non est data lex, qua possit salvare, puta per & in se homines lapsos & corruptos Galat. 3, 21. & lex à Christo perfectè servata ubi est, nobisq; illius justitia imputatur, salvamur justitiâ Christi, id est, à Christo legi præstitâ & nobis imputatâ, justitiâ Dei, i. e. qua coram Deo valet; justitiâ Evangelij i. e. in eo revelata & oblata; justitiâ fidei, quæ fide apprehenditur & sit nostra. (2.) Quia nemo pie vivendo ac legi satisfaciendo (id quod erat in priori V. T. pacto) poterat salvari, Deus nostri misertus N. T. Christi sanguine sancitum introduxit, in quo homines credendo in salvatorem mundi salvarentur Rom. 8, 3. non ex operibus suis, sed ex misericordia, gratia, fide. Unde quò facilius est, divina adjuvante gratia, credere, quàm omnia in lege præcepta præstare, eò meliora sunt promissa N. T. promissis V. T. siquidem hæc vitam æternam sub conditione perfectæ obedientiæ promittebant, nulli a. vitam conferebant, quia nemo conditionem annexam implebat.

XV III.

Vers. 8.) Hebræis seu Judæis, quibus inscripta hæc est Epistola, hoc videri poterat durum aut novum, in V. T. fuisse, quod culpæ Deus potuisset, & propter quod illud abrogare, novumq; substituere decrevisset: Ideoq; ex propheta Jeremia id quod dictum erat, probatur. Nam in eo aliquid incusantis ac desiderans eis dicit (μεμφομένου & ἰδὲ αὐτοῖς λέγει, ubi subaudiendum αὐτῶν vel ἐκείνων τῶν πεισῶν, ex collatione versus præcedentis, uti observavit Junius, & ex eo Piscator annotavit) hominibus, qui non servabant legem, & dum ijs loquens eos incusat, eis perfidiam velut sædisfragis exprobrat, simul in-

Sed justitia Evangelij.

N. T. promissa meliora

Jeremias dictum, cur citetur.

*infirmi-
tatem* fœderis accidentariam notat, & rectè infert,
 novo opus fuisse fœdere, quum qui maximè vetus servare
 anniterentur, tamen non essent inculpati, siquidem nemo tan-
 tum faciebat, quantum lex exigebat, ideo dicit Deus Jerem.
 31. 31. 32. 33. 34. Ecce, quum neg, servetur neg, servari adeo
 possit V. T. pactum, atq, ita, si id tantum cum hominibus
 inirem, dum cupio lapsos in Adamo salvare, salutaris hic ef-
 fectus non sequatur, dies venient, quomodo propheta crebrò
 tempus Messie designant (qua ratione & quibus de causis, alibi
 fuit indicatum) dicit Dominus, quum peragam, atq, adeo
 quum prius illud manserit ex parte hominum imperfectum
 finemq, suum non sit consecutum, perficiam & ad finem salu-
 tarem ipse perducam (quæ est ἠμψασις verbi græci συντιλέω
 dilucidior quàm verbi hebræi apud Jeremiam ירד, quod
 Syrus interpres hic non malè per ירדן effert. Confer v. 5.
 superius, ubi est verbum ἠμψασις) cum, hebraicè -אנ, Syre
 ܐܢܐ, græcè ὄν, erga & supra domum Israëlis, & super do-
 mum Judæ, per quam more prophetarum (qui verbis ac phra-
 sibus in V. T. usitatis res N. T. describunt sapissimè) denota-
 tur tota N. T. Ecclesia, pactum seu fœdus novum. Dum a. vo-
 cat domum, id quoq, innuit, fore ut in unam veri Davidis fa-
 miliam sub initium N. T. rursus conjungantur, qui sub Recha-
 bamo Davidis nepote in duo regna Judæ & Israëlis divide-
 bantur 1. Reg. 12. Sicut etiam de Judeis & gentibus id expli-
 catur Ephes. 2. Confer Luc. 1, 33. Roman. 11, 16. Gal. 6. 16.

Συντιλέω

Domus
Israëli.

XX. Usus,

Deus
peccato-
ribus
irascitur.

Axiomata hinc deducimus ista (1.) Deus non potest non
 culpæ seu inculpare omnes, qui legem non servant; & si ÿs
 succenset ob justitiæ suæ summâ perfectionem, qui non vivunt
 juxta legem ex infirmitate, quanto magis irascetur ÿs, qui
 peccant elatâ manu, & ex malitiâ summâ? (2.) In V. T.

mag-

magna fuit nox & obscuritas: in N. T. magna lux, dies & perspicuitas (3.) per N. T. hominibus salus obtingit, & Deus finem suum de salvandis finaliter consequitur Rom. 3. & 4. Gal. 2. 3. 4. Ephes. 2. (4.) Testamentum hoc dicitur Novum non simpliciter ratione temporis (nisi ratione promulgationis) sed etiam, quod novos homines efficiat, cum V. T. vetustatem carnis quidem monstrat atq; accuset, non autem tollat. Agnus v. est occisus ab origine mundi Apocal. 13, 8. nosq; post natum Christum salvamur, v. g. in regno xaxiçoi, seu p̄ ante Christum natum Actor. 15, 10, 11. Confer Rom. 11, 27. Heb. 10, 16. Lex autem transgressionum gratia adjecta est, usquequo semen illud veniat, cui facta est promissio Gal. 3, 18. 22. 24. Rom. 3. 20.

XXI.

Vers. 9.] Quid v. causa est, ut prius aboleri, posterius a pactum introduci necesse sit? haec praecipue, quod ipsi Judaei ex sua parte id non servarent, imò, quae erat ipsorum imbecillitas, neq; servare potuerint, atq; inde ex mea parte ego Deus beneficia illis sub conditione obedientiae promissa non exhiberim, ipsiusq; pacti effectus salutaris nullus, respectu ejus, quod maxime videbatur intendi. Cum igitur illa via non successerit, alià, quae mea Dei est benignitas rem aggrediendam censei, & quod rigore legis non obtinebam, vigore Evangelij & gratiae efficere volui. Non secundum pactum seu Testamentum vetus illud, quod feci cum patribus ipsorum quod bona omnigena promittit cum conditione obedientiae legi prestita Ex. 24, 8. Heb. 9, 19, 20. quo die ac tempore prehendi manum ipsorum, ut educerem eos ex Aegypto, quando eis auxiliarem manum porrexi Luc. 1, 54. & eduxi ut filios teneros, qui nondum per se incedere possunt (vide quae dicta sunt Hos. 11, 3.) non jussi pone me sequi, velut firmos aut servos, quos

C

non

Testamē-
tum No-
vum.]

V. T. quā-
do pro-
mulgatū.

Prehen-
dit Deus
manum
Israelita-
rum.

non magni facimus, sed dextra mea sustentans sublevari, ve-
 lut nutrix vel parens. confer Exod 19, 4. Deut. 1, 31. & 32, 10,
 11, 12. Istud pactum legale illi quidem acceperunt, sed non pre-
 stiterunt conditiones sibi propositas Ex. 19, 5. & 24, 3. Act. 7,
 53. in quas compromiserant. Nam illi non perstiterunt in illo
 meo pacto (grace, αὐτοὶ δὲ ἐπέμειναν ἐν τῇ διαθήκῃ μὲν, quod
 Luth. expressit, Sic sind nit blicben in meinem Testament)
 Ex. 32, 8. 15. 19. Deut. 9, 16. 17. & ego despexi eos, ἠμέλησα αὐ-
 τῶν, Luth. Ich habe ihr auch nicht wollen achten / neglexi
 eos, neq. benevolentia, quam meis cultoribus promisi, ipsos sum
 complexus. Quae omnia si quis cum Jeremia v. 32. contule-
 rit accuratius, deprehendet, ibi esse duo verba Emphatica.
 Hebraea, הַחַיִּים הַחַיִּים, quod in graco textu effertur per ἐπιλαμβάν-
 οντες & הַפֶּר, quod notat (quando de pacto fit sermo) q. dis-
 rumpendo tabulas foederis, id ipsum irritum facere: Et de-
 mum, esse in ultimo commate non tam verba, quam sensum,
 expressum, quod in N. T. fit crebro (vide in Amos 5, 25. 26. 27.
 p. 111.) praesertim, quando metalepticè aliquid potest ἐμφα-
 τικῶς εἶναι efferi ibid. p. 112. Ita etiam conciliabis prophetam
 cum h. l. ille habet, וְאַנְכִי בְעַלְתִּי בָּם : hic legimus : καὶ γὰρ
 ἠμέλησα αὐτῶν, quae planè videntur esse contraria, simpliciter
 accepta, & ego ero conjunx ipsis: Contra, ego despexi, neglexi
 ac dereliqui eos, quae ut conciliemus (1.) non decurrimus
 cum quibusdam eò, ut dicamus textum esse corruptum. nec
 2. (2.) cum Piscatore pro בעלתי existimamus LXX. legisse
 אֲפַרְתִּי fastidivi eos, ita enim fuisset in textu Heb. quod extat
 Lev. 16, 44. אֲפַרְתִּי, non א. בָּם, cum verbum אֲפַרְתִּי cum
 3. ב non construatur. Nec (3.) cum R. Josepho dici potest,
 quod בעל cum ב constructum notet contemptum & abjectio-
 nem, ut בחלתי Confer ex sensu eorum Zach. 11, 8. si qui-
 dem contrarium liquet ex Jer. 3, 14. & talis dominandi li-
 bido

הַחַיִּים
הַפֶּר

Concilia-
tur Jere-
mias cum
h. l.

- malè: 1.
2.
3.

*libido, qualis est dominorum durorum & tyrannorum, alia
 phrasi denotatur Es. 26, 13. (ut pleriq; interpretes volunt) &
 alia 1. Chron. 4, 22. Nec (4.) cum R. D. Kimchi sentimus,
 qui explicat hoc modo: ipsi non servaverunt fœdus meum,
 quamvis ego essem maritus ipsorum, cui merito parere debe-
 bant. Ab hoc non longè abeunt Chaldaeus & Vatablus, etiam
 Piscator in scholijs suis. Sed ita nulla via conciliandi hunc lo-
 cum in N. T. cum illo. Nec (5.) (quod liquet ex membro tertio)
 cum pleriq; alijs interpretibus veteribus & recentioribus
 explicare possumus simpliciter, Ego desij esse sponsus vel ma-
 ritus benignus, quum ipsi se non gererent ut sponsa pura vel
 uxor casta, sed cœpi me præbere dominum durum, velut dece-
 bat erga servos refractarios, ostendiq; dominium meum, eos
 duriter habendo, cogendo legibus & pœnis afficiendo. Quo-
 modo etiam hæc exponit Pareus: erant subditi mei, sed jugum
 meum abjecerunt, ideog; & eos abjeci, perfidiamq; tantam pu-
 nivi. Sensus quidem hujus explicationis sat bonus est, quod
 patet ex h. loco Epistola ad Heb. sed nondum verba hebraea apud
 Jeremiam satis videntur explicata. Ideog; (6.) non habeo ne-
 lius quid, quàm quod apud Junium reperio, legenda esse illa
 verba cum interrogatione Rhetorica, que probè convenit
 indignanti, qualis hic Deus introducit, Et ego conjugio
 conjunctus mansissem eis, postquam ipsi turpiter à me desci-
 verunt? nullo modo, sed meritò eos despexi vicissim, & me de-
 relinquentes dereliqui, ut ita quod apud prophetam pronun-
 ciatur ἐρωτησάντων & ἐμπαύων, hic reddatur ἠγαπήσάντων
 præsertim cum apud prophetam sit causa hujus vehementiæ,
 vid. summa Judæorum malitia. Qua de re ipse Junius
 agit prolixius, quò lectorem remitto. Vide librum tertium
 parallelorum p. 1194.*

XXII. Usus.

(1.) Differentia est V. & N. T. quanam a. illa & quotu-
 plex

4.
 5.
 rectius 6.
 cum Ju-
 nio.

Legis
promul-
gatio.
per V. T.
nemo sal-
vatur.

plex, peculiari quadam disputatione, cum Deo, videbimus (2.)
Lex solenniter promulgata est ad montem Sinai, quando ex
Ægypto erant educti Israhelites (3.) V. T. nemo servat perfe-
cte, Ergo etiam illo nemo salvatur in hac corruptâ naturâ,
sed si secundum illud Deus nobiscum agere velit (quod per ju-
stitiam facit in omnib. finaliter impœnitentibus) non potest
nos non rejicere, reprobare, quia nos à spirituali nostro marito
desciscimus.

XXIII.

Dux dif-
ferentiæ
V. & N. T.

r. in cog-
nitione.

v. 10] Declarat ulterius, quod paucis dixit, hoc novum
T. non fore tale, quale prius, idq; duabus differentijs demon-
strat. Nam (on, Beza, quamobrem, quod minus placet, siqui-
dem hic ratio redditur, cur hoc pactum non sit priori per
omnia simile, verum in multis differat) hoc est fœdus meum,
quod pangam cum populo meo, hoc est pactum meum quod pa-
ciscat, (in græco textu est etiam major emphasis & elegans
περσωνογία, αὐτῆ ἢ διαθήκῃ ἢ διαθήσμεν Confer Luc. 22,
29.) domui Israelis post dies hosce, dixit Dominus, indam
(græcè διδῶς, subintellige δώσω, ut plena sit constructio, que
est apud LXX.) leges meas menti eorum, & cordi eorum
inscribam, que est insignis quadam Testamentorum horum
differentia. Nam quamvis lex in ipsa cretione homini esset
inscripta, tamen post lapsum adeo est obscurata, ut illa cog-
nitio sit valde debilis, & ad salutem eternam sola planè inuti-
lis. Uteriore ergo & patefactionem doctrina de Dei essentia
& voluntate, deq; omnibus alijs fidei articulis in N. T. futu-
ram his verbis spondet. In V. enim T. paucis solenniter & or-
dinariè verbum Dei predicabatur, & pro ratione temporis
ac hominum, qui erant velut infantes, Gal. 4, 1, 3. obscurius
sunt traditi: In N. autem T. omnibus ubiq; Act. 17, 30. illu-
strius & magis perspicuè omnia annunciata, & per predica-
tionem

tionem verbi homines à Deo illuminati & conversi saepe momento uno, magno numero. Vide Act. 2, 37, 41. & 5. 11. 14. & 10, 44. & in Actis passim, sicut & in multis Pauli Epistolis, hoc complementum videre est. Altera differentia cernitur in effectu salutari Testamentorum: quia in V. à nemine perfecta obedientia prestabatur, quae erat promissa sup. v. 6. 7. 8. nemini etiam obtingebat inde à Deo vicissim promissa gratia: At in N. T. ita Deus loquitur: Et ero Deus, seu in Deum, ut habet hebraeus hic servatus, ipsis puta, qui se passi sunt illuminari per verbum, & ipsi erunt mihi dilectus populus, seu in populum. Pollicetur gratuitam adoptionem per Christum mundi salvatorem, in quem credunt Iohan. 1, 12. & gratuitam peccatorum remissionem, cum justitiam Christi illis imputat & propriam injustitiam non imputat. Alias ratione potentia est Deus omnium creaturarum, nedum omnium populorum Psal. 24, 1.

2. peccatorum remissione.

XXIV. Usus.

Discimus (1.) Deus est causa principalis illuminationis & conversionis hominum: scriptura seu verbum Dei causa instrumentalis, & illa quando legitur sine Spiritu S. gratiosa operatione velamen cordi obductum manet 2. Cor. 3, 14. 15. 16. videntes non vident, audientes non intelligunt Luc. 8, 10. (2.) Beatus ille populus, cujus Jehova est Deus ejus Psal. 144, 15.

Causa conversionis.

XXV.

(V. 11.) Ultramq; differentiam & praecellentiam N. T. indicatam uberius aliquanto explicari cernemus: priorem de perspicuitate & manifestatione Evangelij, & inde existente cognitione, hoc versu: posteriorem v. de gratuita peccatorum remissione v. 12. Quae occasio dicendi si probè observetur, magnam lucem huic loco adfert, quo varij haeretici abutuntur.

Deus be-
medicens
verbo
suo.

Ellipsis
vocis Tā-
tūm.

A parvo
usque ad
magnum.

Aliorum
e. plica-
tiones.

i.

Refut.

Quod enim dictum erat, indam leges meas cordi eorum; nunc interpretatur, fore, ut Deo benedicente medijs à se ordinatis, predicatio verbi non sit irrita, quod contingit, quando homines soli docent, qui hactenus nihil quicquam sunt 1. Cor. 3, 7. qui, ubi Deus dat incrementum, sunt Dei cooperarij ibid. v. 9. Non (8 $\mu\eta$, quod magis emphaticum) docebunt unusquisq; seu singuli proximum suum (Syrus habet, filium civitatis suae, ex lingua Idiotismo) tantum seu solum fixe me (ut fieri amat, dum non accedit N. T. gratia, quemadmodum hujus particule Ellipsis crebra est in sacris, uti annotatum est Hof. 6, 6. Joel. 2, 13.) nec quisq; docebit fratrem suum dicens, Cognosce Dominum, nam omnes, qui fuerint conversi per Apostolos me eos illuminante, cognoscent me tum temporis, & poterunt nosse Deum in tanta luce, si modo oculos nefarie non clauserint, à parvo usq; ad magnum, i. e. nullo excepto omnibus patebit aditus, omnes hoc docebit, & omnes, si sibi nolint deesse, consequi tantum bonum poterunt illo tempore gratia 2. Cor. 6, 2. Idem huc loquendi, vel transposita formula hebraeis usitata notat. Vide Gen. 19, 11. & 44, 12. Jer. 6, 13. & 8, 10. Baruch. 1, 4. Judith. 13, 15. Confer non absimiles phrasas seu Idiotismos linguae sanctae Gen. 14, 23. 1. Sam. 22, 15. Matth. 12, 32. Gen. 24, 50. & 31, 24. Gen. 24, 49. Num. 20, 17. & 22, 26. Deut. 2, 27. & 28, 14. & 5, 38. Jos. 23, 6. 1. Sam. 6, 12. Quem credam esse sensum literalem horum verborum, indicavi: Subjiciam paucis aliorum explicationes. Pontificij quidam illa verba, Indam leges meas menti eorum & c. in v. 10. & hac v. 11. Omnia de Apostolis explicant, quia ubi illi miraculose & immediatè sub initium N. T. sunt donati Spiritu S. nemo hominum postea illos docuit, quum Spir. S. ipsos in omnem veritatem duceret. Vide saltem Christophorum Castrum Ocaniensem in Jerem. c. 31. Sed abluunt hi à scopo, siquidem hic non de

de illis N. T. doctoribus primis, verum omnibus auditoribus
 & obedientibus discipulis agitur, ut patet ex superiori com-
 paratione & scopo. Quin & illi se invicem poterant exhorta-
 ri & docere, sicut Paulus Petrum instruxit Gal. 2. quamvis
 hoc verum sit, quod Apostoli, quia Apostoli, non erraverint.
 Alij putant, hic ea promitti, que spectant ad triumphan-
 tem Ecclesiam, ubi omnes omnia norunt. Johan. 16, 22,
 23. Et verum est, quod es summum hujus promissionis
 complementum pertineat. Interim tenendum, quod de N. T.
 sine dubio hic agatur, idq; comparetur cum V. T. Ideoq; hec
 etiam verba comparatè & secundum quid sint accipienda,
 nemo ita laboriosè per typos, nemo ita obscure docebit deinceps,
 ut in V. T. ubi cogebantur sapius querere, quid sibi hæc
 vel illa vellet ceremonia Exod. 12, 26, 27. & 13, 8. 14. 15. non
 ita paucis amplius declarabitur verbum, non ita multi erunt
 Dei ignari Eph. 2, 12. sed si modo velint attendere sermoni
 Act. 16, 14. erunt omnes docti à Deo Es. 54, 13. Job. 6, 45. Ubi
 tamen contra fanaticos & veteres & recentes Enthusiasmos,
 raptus, colloquia cum Deo & c. jactitantes, seq; hoc dicto tu-
 entes, notandum, quod causa prima non tollat medias vel
 instrumentales in suo genere. Ita Deus docet, sed per verbi
 lectionem, meditationem, prædicationem ordinariè operatur
 conversionem, & alia bona in hominib. Favere illis fanati-
 cis videtur hæc expositio Piscatoris: docebuntur à Spir. S. ut
 non opus sint habituri institutione humanâ.

X XVI. Usus.

D. (1.) Ubi minister verbi fideliter ex verbo Dei homi-
 nes erudit, Deusq; ejus labori benedicit, neq; auditor resistit,
 multum & ille & hic proficit. Ubi a. solus homo instituit,
 successus felix laborantem destituit. (2.) Tanta in N. T. lux
 est, ut omnes possint Deum cognoscere, si modo velint discere.

Mag-

2.

3.

Deo be-
 nedicite
 proficit
 ho m
 Lux N. T.

Magnum itaq; dedecus, hodie tam multos inter Christianos reperiri, qui sint articulorum fidei & praeceptorum Dei ignari. (3.) Nullum eximit à Dei cultu dignitas, nullum excusat tenuitas, sed quia omnes à Deo sunt conditi ad ejus imaginem, à Christo redempti ad aeternam salutem, omnes ei merito se subjiciunt, eumq; filialiter metuunt & colunt.

XXVII.

Deus in
N. T. pro-
pitius.

Quomo-
do Deus
non re-
cordetur.

Vers. 12] Alteram eamq; praecipuam N. T. praecellentiam nunc sub finem explanat, unde omnis gratia reliqua profluit, nempe gratuitam remissionem propter Christum. Ubi enim ex hominum parte est Dei agnitio & fides v. 11. ibi ex Dei parte vita, salus & omnia bona dantur. Unde ergo fit, quod Deus tanto amore genus humanum in N. T. complectitur, ut curet omnibus annunciandum Evangelium, ijsq; per illud, qui non resistunt, fidem confert Act. 17, 31. (ubi quod est in Graeco textu, $\mu\iota\sigma\upsilon\ \pi\alpha\epsilon\gamma\chi\omega\nu\ \pi\acute{\alpha}\sigma\tau\upsilon$, à Syro, vulgato latino, Luthero longè melius versum esse, quàm à Beza, Stephano, Polano, obiter notamus) hinc scilicet, ero enim propitius, $\iota\lambda\epsilon\omega\varsigma$ per & propter Christum $\iota\lambda\alpha\sigma\mu\acute{o}\nu$ 1. Job. 2, 2. $\iota\lambda\alpha\sigma\eta\tau\epsilon\iota\omega\nu$ verum Rom. 3, 25. iniquitatibus eorum. quam phrasin Hebraeam aliquantò dilucidius expressit Syrus, & ero propitius eis ab iniquitatibus eorum, his videlicet condonatis, non imputatis, remotis, in Christum coniectis, in mare projectis, (ut alibi scriptura de hoc ministerio loquitur) peccatorum ipsorum, licet adsint, & transgressionum ipsorum (quod comma non est apud Jerem. in textu hebraeo, neq; hic in vulgata versione latina, neq; in Syra, verum hic explicationis ergo adjectum) & $\mu\eta$, nequaquam, nullo modo recordabor amplius, puta secundum quid, ut poenam propterea ab ipsis reposcam. Aliàs DEUS omniscius planè oblivisci talium non potest. Sed de hac phrasi, DEO affirmativè & negativè

tivè attributa, jam alibi dictum, actum non agemus. Ad eundem modum Num. 23, 25. scribitur: DEUS non intuetur iniquitatem in Jacob, nec aspicit perversitatem in Israele.

XXIIX. Usus.

D. (1) Ita asserenda est Dei misericordia in justificatione, ne labefactetur Dei justitia, quod fit à Photinianis. (2) Non imputatis nobis nostris peccatis, & imputatà Christi justitià fit nostri justificatio coram Deo.

Temperamentum mirum. Justificat.

XXIX.

Vers. 13. Hactenus Jeremie Prophete Vaticinium, unde probantur ea, quæ superius dicta. Ex his autem, quæ jam ablata sunt concluditur, V. T. fuisse abrogandum, quando N. exhibetur & introducitur. Dum enim novum dicit Deus, idq. promittit, & jam eo tempore, quo hæc scribebantur, facit ut promissa appareant, antiquavit, περιλάσις, prius, idq. è medio removit, consequens autem est, ut vetustate paulatim aboleatur: Porro quod antiquatur & senescit, prope est ut tandem evanescat, in sua principia velut resolutum, non procul abest ab evanescendi periculo, seu instat illi evanescendi periculum. Lutherus Was aber Alt vnd vberjahret ist / Das ist nahe bey seinem ende.

V. T. abrogatur.

XXX. Usus.

D. (1.) Tollitur antiquum posteriore novo. (2) Imperfectius meritò dat locum perfectiori & meliori, etiam V. T. novo, de qua re in seqq. disputationibus cum DEO, agemus pluribus. Nunc Deo gratijs per Christum N. T. mediatorem actis concludimus, & rogamus ex C. 13, 20, 21. hujus Epistole: ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης, ὁ ἀναγκάζων ἐν νεκρῶν τὸν πιμενα τῶν πνευμάτων τὸν μέγαν, ἐν αἰματι διαθήκης αἰωνίης, τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, κατεπίστει ἡμᾶς ἐν παντί ἔργῳ ἀγαθῷ, εἰς τὸ ποιῆσαι τὸ θέλημα αὐτοῦ, ποιῶν ἐν ἡμῖν τὸ εὐάρεστον ἐνώπιον αὐτοῦ, Δεῖ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα εἰς πάντας αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν.

D

Orna-



Ornatissimo
DN. RESPONDENTI.

Nosse Deum, vitæ fons & sapiëntia prima est:
Et se nosse malum, maximi origo boni
est.

Se didicit rimans legis sacra jura, Deumq;
Rectè, Evangelium qui docuit, docuit.
Jungit utrumq; caput, qui scit, quod biblia mon-
strant

De TESTAMENTIS & Vetere atq; Novo.
Hic retrò & porrò fert lumina, secula perdi &
Servari Iani more bifrontis ait.

TO BIA facis, & mensuram nominis implet,
Non virtute tuâ, sed bonitate Dei.

Nam VETERI in pacto damnantia verba minasq;
Perspicis, & quæ sit gratia magna Novi.

Sic bonus evadit Christianus, crimina quando
Ex lege agnoscit, cognita deslet homo,

Flens porrò ad Christum mundi peccata piantem
Confugit, hic morbi parta medela mali.

Sanguis enim Christi peccati vulnera sanat
Appositus cordi justificante fide

Per-

*Perge ita TOBIA. Scitum est: doctusq; bonusq;
Non est, qui non fit doctior & melior.
Disce, alios possis qua deinde docere, quia illa,
Qua quis non novit, nemo docere potest.
Hinc Evangelij & legis confusio, Papa
Qua regnum potuit constabilire malum.
Contra Evangelij & legis distinctio si cui
Nota probè, in sacris plurima nota probè.
Hoc tibi Tobia grator: benedicere pergat
Cœptis, sacrum in te qui bene cœpit opus.*

Præses.



tivè attributa, jam alibi dictum, actum non
eundem modum Num. 23, 25. scribitur: De
tur iniquitatem in Jacob, nec afficit per
Israele.

XXIIX. Usus.

D. (1) Ita asserenda est Dei misericordia
ne, ne labefactetur Dei justitia, quod fit à Pho
Non imputatis nobis nostris peccatis, & imputa
stitià fit nostri justificatio coram Deo.

XXIX.

Vers. 13. Haecenus Jeremie Prophete Vati
probantur ea, quae superius dicta. Ex his aut
lata sunt concluditur, V. T. fuisse abrogand
exhibetur & introducitur. Dum enim novu
idg. promittit, & jam eo tempore, quo haec scribe
ut promissa appareant, antiquavit, παλαι
idg. è medio removit, consequens autem est,
paulatim aboleatur: Porro quod antiquatur
prope est ut tandem evanescat, in sua princ
solutum, non procul abest ab evanescendi pericu
illi evanescendi periculum. Lutherus Was
vberjahret ist! Das ist nahe bey seinem ende.

XXX. Usus.

D. (1) Tollitur antiquum posteriore novo.
fectius meritò dat locum perfectiori & meliori
novo, de qua re in seqq. disputationibus cum D
pluribus. Nunc Deo gratijs per Christum N. T.
actis concludimus, & rogamus ex C. 13, 20, 21
stola: ὁ θεὸς τῆς εἰρήνης, ὁ ἀναρχῶν καὶ νεκρῶν τῶν
προβατῶν τῶν μέγαν, ἐν αἰμῶσι διαθήκης αἰώνις, τῶν
Ἰησοῦ Χριστοῦ, κατεργάσθη ἡμᾶς ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῶ
τὸ φέλημα αὐτοῦ, ποιῶν ἐν ἡμῖν τὸ εὐάρεστον χάριτι
Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα εἰς πάντας αἰῶνας τῶ
αἰῶνων, Ἀμήν.

D

the scale towards document

Tempera-
mentum
mirum.
Justificat.

V. T. ab-
rogatur.

